

**Dissertatio inauguralis medica sistens circa variolarum distributionem in primis ratione februm cum iis conjunctarum quaedam analecta ... / [Isaak Daniel Fellingner].**

### **Contributors**

Fellinger, Isaak Daniel.  
Schroeder, Philipp Georg, 1729-1772.  
Universität Göttingen.

### **Publication/Creation**

Goettingae : Ex 'Officina Schulziana', [1770]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/crvdwck3>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

22353/P

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
CIRCA  
VARIOLARVM DISTRIBUTIONEM  
IN PRIMIS RATIONE FEBRIVM CVM IIS  
CONIVNCTARVM QVAEDAM  
ANALECTA

20

---

QVAM  
EX CONSENSV INCLYTI ORDINIS MEDICORVM  
*ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE*  
SVB PRAESIDIO  
VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXPERIENTISSIMI  
PHILIPPI GEORGII SCHROEDER  
PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQUE. PROFESS. PVBL. ORDIN.  
ET ARCHIATRI REGII  
FAVTORIS AC PRAECEPTORIS SVMME COLENDI  
PRO GRADV DOCTORIS  
AC PRIVILEGIIS CVM ILLO CONIVNCTIS  
LEGITIME CONSEQVENDIS  
D. XII. OCTOBR. A. R. S. CIO ICCCCLXX

PVBLCICE DEFENDET  
ISAACVS DANIEL FELLINGER  
AQVISGRANENSIS.

---

GOETTINGAE

EX OFFICINA SCHVLZIANA, curante F. A. ROSENBVSCH.

42600





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
CIRCA  
VARIOLARVM DISTRIBUTIONEM  
IN PRIMIS RATIONE FEBRIVM CVM IIS  
CONIVNCTARVM QVAEDAM ANALECTA.

---

§. I.

**D**e argumento, quod, ex legum academicarum praescripto, inaugurali specimine exponerem, nec inutiles quidem, nec minus tamen difficili, eligendo, mihi curatius meditati, de morbo tam saepe gravissimo ac difficillimo, plurimisque pernicioso, fere neminem mortalium a pluribus iam saeculis plane praetereunte, ac fere omnes semel modo affligente, notissimo nempe illo varioloso, notatu digniora quaedam visa paucis explanare, consilium placuit, praesertim cum hoc ipsum ab ill. etiam Praefide, Praeceptore meo


maxime colendo, valde probaretur. Ex hoc nempe, quoad perspicere mihi haecenus concessum, atque per angusti temporis, a studiis academicis, etiamnum interea simul persequendis, reliqui spatium mihi licuerit, verifidicti morbi variolosi, quoad febrium in primis cum illo coniunctarum, differentias, in praxeos commoda constitutas ponderare, meum in animum induxi.

§. II.

Licet enim quam plurimi atque suo merito celeberrimi Auctores inde ab ipso RHAZE ad nostra ipsa tempora in obseruandis atque describendis huius morbi, generi humano prae multis aliis tam saepe infestissimi, varietatibus, et in definiendis secundum conditiones aegrorum discrepantes, medendi methodis diuersis, neque minus etiam certa in capita distribuendis, quo rationalem eius curationem faciliorem redderent, ipsius morbi differentiis, praeclaram omnino et insignem, vt facile animaduertimus, operam posuerint, vix tamen ex artis tyronibus aliquem fore existimo, qui consultis Practicorum operibus iisdemque inter se sollicitè collatis, dolorem exinde singularem non sit percepturus, quod multitudo specialissimarum cautionum, ab Auctoribus optimis traditarum, atque dissensus ille frequens, vt quoad alia multa, sic et quoad partitiones morbi varias, harumque momenta, obuius hanc etiam doctrinae medicae partem difficultate permolesta implicet.

§. III.

Ad magna artis haec incommoda aliquantisper imminuenda Medici dudum ex ingenti multitudine obseruationum specialissimarum, inter se quam maxime discrepan-



screpantium, licet harum quoque notitia medico practico perquam simul utilis immo necessaria sit, variolosum quoque morbum varia in genera distinxerunt. Nos quidem praecipuas primum istarum partitionum bonis ab Auctoribus traditarum, breuiter proponemus, dein autem quanti quaelibet momenti ipsa in praxi videatur, quoad perspicere concessum fuerit, ponderare adnitemur. Notissima et perquam vulgata variolarum diuisio, etiam a RHAZE (1) iam proposita illa est in *discretas* siue *distinctas* et *confluentes*, quae a recentissimis etiam aetatis nostrae Practicis prae aliis frequenter vsurpatur; harum vtrasque SYDENHAMVS (2) et LOBBIVS (3) aliique subinde vterius in *regulares* et *anomalias* siue *irregulares* distribuerunt. Complures etiam Auctores generi inter confluentes et discretas intermedio peculiare *cohaerentium* nomen imposuerunt. Praeter has differentias RHAZES (4) iam memorauit *variolas virides, violaceas, nigras et admodum paruas, albas, duras, verrucosas, humore vacuas, ad maturitatem difficillime peruenientes, atque duplicatas, materiae abundantiam significantes*. HALY ABBAS (5) has omnes variolarum species quoque notauit, simulque mentionem illarum fecit, *quas petechiae comitarentur, atque vesicae illis similes, quas ambustio excitare solet*. AVICENNA (6) easdem omnes species pariter memorauit primusque retulit *sanguineam urinam, similemque alui deiectionem,*  
quan-

(1) *Ad Al-Mansor. Lib. X. c. 18.*

& *de variolis et morbill. ex edit.*

IO. CHANNING Londini 1766.

Cap. XIV. pag. 191. 193.

(2) *Opp. vniuers. Edit. Leidens.*


1754. pag. 132.

(3) *Treatise on the Small Pox*  
London 1741. p. 7.

(4) *in locis citatis, et in libro*  
edit. CHANNING p. 195.

(5) *Theoriae Lib. 8.*

(6) *Canon. lib. 4. Fen. 2.*



quandoque in variolosis contingentes; mentionem quoque fecit speciei, quam vocat *duplices magnae, in ventre unius quarum est variola alia*. Sed praeterea etiam generalis illa, magni a multis recentiorum habita, morborum praesertim acutorum in *benignos et malignos* diuisio fere peculiari quodam iure variolis conuenire a non paucis perhibetur; cui distinctioni adeo fauent nonnulli, vti MORTONVS (7) et ex recentissimis Scriptoribus ill. quoque de HAEN (8) vt plurimum illam habere momenti ad prognosin et medendi rationem recte constituendam contendant. Cl. HILLARY (9) vltiorem variolarum partitionem, praeter eam in *distinctas, confluentes, contiguas, et illas, quas maculae petechiales et haemorrhagiae comitarentur*, pro subtilibus potius ineptiis, quam vere vtili doctrina habet, contenditque nominatis hisce speciebus singulis, vbi malignae essent indolis, *crystallinas, siliquosas et verrucosas* aliquando intermixtas esse. MEADIVS (10), non contentus ordinaria variolarum in discretas et confluentes diuisione, quum non tam a purulentae materiae copia, quam ab aliis rebus circumstantibus exitium imminere, atque discretas confluentibus interdum perniciosiores animaduertent, rectius illas diuidi posse existimat in *simplices et malignas* harumque differentias praecipuas sua ex obseruatione reperiri tradidit inter *crystallinas, verrucosas, et sanguineas, siliquosas* FREINDII crystallinis suis accensens. Prolixa autem prae aliis partitio est, quam cel. tradidit SAVVAGES (11) praeter sic dictas *spurias*, et quidem *lymphas*

(7) Pyretol. de febr. inflamm. don 1740. p. 36. 37.  
c. VI. edit. Genev. p. 37.

(8) Rat. med. P. II. C. III. et alibi passim.

(10) De variolis et morbillis libro, edit. Goett. p. 16. et sqq.

(11) Nosol. method. Tom. II

(9) Essay on the Small pox. Lon. P. I. p. 367. sqq.

*lymphaticas*, duodecim enumerans variolarum verarum species *discretarum* nempe septem, 1. *benignas s. regulares* SYDENHAMI 2. *anomalas eiusdem*, 3. *eiusdem dysenteriodes*. 4. *vesiculares s. crystallinas* Meadii. 5. *huius verrucosas*. 6. *huiusque siliquosas*. 7. *miliares* HELVETII; postea et quinque *confluentium*, nempe 1. SYDENHAMI *regulares*, 2. *crystallinas* HELVETII. 3. *cohaerentes illius*, quae *confluentium malignarum eiusdem Auctoris alteram speciem sistunt*, cum *interuallis miliaribus*, aut *purpuratis*. 4. *nigras Sydenhami vel sanguineas* MEADII 5. *corymbosas*, ab HELVETIO *descriptas*. Ratione Febris autem, quae pustulas variolosas comitatur et praecedat, alii nullam memorant peculiarem discrepantiam, nisi quae ex varietate vel corporibus aegrotantium inhaerentis conditionis, vel epidemicae constitutionis, annique temporum ac tempestatum, vel etiam diuersae miasmatum virulentiae, regiminisque diaetae et medelae conditionis, quodammodo concipitur, certa tamen in genera febres non discescunt; alii harum etiam febrium discrimina, diuisionibus illis paruulgatis variolarum in benignas et malignas, siue meliores et peiores, siue regulares et anomalas, simul comprehendunt. Nonnulli tamen et eiusmodi varia febrium genera, quae et alias tum solitaria tum etiam cum inflammationibus, aliisque exanthematibus, atque catarrhis coniuncta occurrunt in variolarum decursu obuia memorarunt, quorumque accuratior idea aliquam curationi lucem affundere perhibetur; ita enim febris nunc inflammatoriae indolis, nunc vero ab hac aliena esse dicitur, nunc lentior quidem, nunc acutior, etiam verioribus quandoque praedita malignitatis characteribus, quibus scilicet periculum fere sola duce experientia innotescit, ex cau-



sis nempe non satis certe ac euidenter apparens, quaeque perturbatum insuper occultiori ex origine systema neruofum declarant, et e symptomatibus praesertim, nec sibi inuicem nec manifestiori aegrotantium conditioni respondentibus desumuntur, atque ex his in primis ingeniosus et accuratus scriptor, I O. H V X H A M<sup>(12)</sup> laudari meretur, qui febres cum variolis coniunctas diuersas, nunc *inflammatorias* nunc *lentas neruofas*, nunc *malignas s. putridas et petechiales* descripsit, atque variam his accomodare medendi rationem docuit, vbi semper magis ad hoc febrium discrimen, quam ad reliquas differentias attendisse videtur.

#### §. IV.

Iam vero scrutaturi, quantae utilitatis ipsa in facienda medicina sint istae variolarum distributiones, eam primum consideremus, qua in discretas, confluentes et cohaerentes distinguuntur. Vocabulorum, quibus haec species denominare solemus, explicationem praetermittere licebit, cum notissimus sit illorum de hoc morbo vsus, idemque ex reliqua etiam illorum communi significatione facile colligatur, si modo obseruetur, pustularum faciei praecipuam hic rationem haberi. Si confluentes tunc variolas oriri assumamus, vbi densissimae in facie pustulae simul ac semel eruperint, quae auctae in vnam permutentur vesicam variolosam, in eam facile sententiam transibimus, numero saltim confluentes, cohaerentes atque discretas differre, morborumque integrorum iisdem coniunctorum discrepantiam, quod maiorem pustularum praesertim faciei copiam, grauior pluri-

(12) *Essay on Fevers Edit. 5. London 1767. p. 126. 127. 128.*

pluribusque et periculosis symptomatibus stipata febris comitari soleat, vnicuique in vario ipsorum gradu consistere. Quod si etiam quis optimorum, qui de hoc morbo scripserunt, Auctorum historias et asserta contulerit, eandem quoque sententiam ipsorum observatis omnino confirmatam reperiet. Ita enim SYDENHAMVS (13) *symptomata, inquit, cum discretis communia habet et illa variolarum species, quas confluentes adpellauimus, nisi quod hic atrociora sint omnia, febris scilicet, anxietas, atque aegritudo, vomituroditio &c. immaniùs affligant, quibus signis Medico sagaci, etiam ante eruptionem, confluentes se produnt.* Quae praeterea etiam accuratissimus hic ceteroquin observator memorat confluentium in morbo frequentius obuia phaenomena, minorem nempe ad sudores atque maiorem ad diarrhoeas, antequam erumpant pustulae, propensionem, et eruptionem ultra tertium diem rarissime dilatam, et quae sunt plura, nequaquam propria plane perpetuaque confluentibus esse, per ipsam abunde constat experientiam. Ex valde aestimatis, ipsoque a BOERHAAVIO etiam maxime laudatis de hoc morbo Scriptoribus, est etiam THEOPHILVS LOBB (14), qui de hoc discrimine ita sentit: *By the distinct and confluent small pox I do not apprehend two different species of Distempers to be meant, but only that the most remarkable difference of the same kind of disease is thereby denoted; for in the confluent Pox it is only a greater degree of the morbid Quality, and of the Quantity of the variolous matter, which makes the various Appearances, and which produces the great variety*

(13) *Opp. uniuers. Sect. III. cap. 2. p. 135.*

(14) *Treatise on the Small pox p. 6.*



riety of symptoms, according to the several Parts of the Body affected with it. Neque de hac differentia alia est sententia BOERHAVII <sup>(15)</sup> et HILLARY <sup>(16)</sup> et MEDII <sup>(17)</sup> et TISSOTI <sup>(18)</sup> et Equitis de ROSENSTEIN <sup>(19)</sup> quorum et aliqui, uti alii etiam plures, hoc discrimen haud magni aestimare videntur. Quodsi ergo sic se res habeat, nomina confluentium, cohaerentium, discretarum variolarum tantum inseruiet maiori medio et minori gradu, qui, sub reliquis paribus aegrorum conditionibus, locum habeant, distinguendis, nec reiicienda quidem sunt, quod hi gradus certos quodammodo limites habent, qui tamen nec pro solis assumi debent, cum quam plurimos habeant intermedios, nec ut gradus varias vere discrepantes morbi variolosi species sistunt, quae diuersas et cuique proprias medendi rationes postulent. Neque dubitauerit etiam in obseruando ac pro varia indole sua tractando morbo mediocriter versatus haud aliis artis praesidiis confluentes plerumque indigere ac discretas copiosiores; eisdem quippe symptomatibus et grauitate ac periculo, quae illis frequentiora sunt, in has pariter non raro incidentibus.

#### §. V.

Verumtamen, si tum indolem ipsius confluentium eruptionis, tum frequentiorem integri cum variolis hisce coniu-

<sup>(15)</sup> *Aphorism. de cogn. & cur. morb. §. 1397.*


<sup>(16)</sup> *Practical Essay on the Small pox p. 42.*

<sup>(17)</sup> *de variolis & morbillis libro, edit. Gott. p. 16.*

<sup>(18)</sup> *Avis au peuple sur sa santé §. 209.*

<sup>(19)</sup> *Anweisung zur Kenntniss und Cur der Kinderkrankh. 2te Ausg. p. iii. 118. 122. 123.*

coniuncti febrilis morbi conditionem propius et accuratius intueamur, certam quandam variolosi huius confluentium morbi naturam persaepe saltem aut plerumque esse, ex probabili et in usum praxeos proficua coniectura, sentiendum videtur. Ipso rerum usu confirman-  
te, SYDENHAMVS docuit, ante confluentium eruptionem immanius affligere febrem, anxietatem, aegritudinem, vomituritionem; diarrhoeam insuper etiam aliquando ante eruptionem accidere, illamque ad diem vnum alterumue post eandem protrahi; tertio ut plurimum die et nonnunquam citius, raro serius, hanc speciem erumpere, ob atrocius tamen aliquando symptoma eruptionem ad quartum vel quintum vsque diem differri, verbi gratia ob acutissimum dolorem, quasi nephriticum, vel pleuriticum, vel in artubus rheumaticum, vel ob ingentem ventriculi aegritudinem, cum vomitu enormi; in confluentibus etiam aequae febrem ac alia symptomata ad multos dies a pustularum eruptione aegrum discruciare; variolas has nunc erysipelatis ritu nunc morbillorum erumpere, a quibus non nisi a Medico in his rebus versatissimo distinguerentur. Frequente praeterea obseruatione satis constat, saluationem confluentibus adultiorum, licet nec illa immunes permanere soleant copiosioribus discretis affecti, perpetuum se comitem adiungere, ita quidem ut modo rarissime deficiat, ipseque SYDENHAMVS vnicum tantum talem viderit confluentibus laborantem, cui nulla superuenerit saluatio, eandemque frequentius longe abundare in confluentibus ac in discretis. Notatu quoque digna est illa infantum sub confluentibus multo maior quam sub discretis ad diarrhoeam pronitas, qua fit, ut fluxus iste in plerisque, nisi impediatur, sponte, nunc paulo serius, nunc vero citius, per tertium praesertim et quartum stadium, nec raro




per integrum morbi decursum, et in aegrorum quidem salutem, succedat. Attentionem praetera meretur SYDENHAMI consilium, licet nos quidem tam generaliter illud amplecti nolimus, *ut, si vel minimum suspicari liceat, variolas mox erumpentes e confluentium genere futuras esse, ut non solum sanguis mittatur, sed et emeticum propinetur;* (20) quod alibi de confluentium pariter agens curatione sic proponit: *necesse erit sanguinem primum e brachii venis educere et post aliquot horas emeticum eradicativum ex infusione croci metallorum exhibere, quod non solum materiam, a qua oriatur aegritudo ista insolentior, foras propellit, sed etiam aegrum ita refocillat, ut iam quasi sanus lectulo abesse possit* (21). Faustum quoque hunc emetici exhibiti successum, et praegresso quidem spontaneo colluiei biliosae vomitu, enarrata memorabili iuuenis, confluentibus variolis correpti, curatione confirmat (22). Iam vero si haec ipsa, observationum instar, quas etiamnum experientia saepissime stabiliat, consideremus, facile persuadebimur, in confluentium variolarum morbo plerumque, si non semper vitiosum circa praecordia fomitem haerere, qui tum graviora illa eruptionem praecedentia, comitantia, et subsequencia symptomata, tum et ipsam erysipelati aut morbillis aemulam eruptionem producat. Quem enim rerum in morbis febrilibus observandis frequentior usus non defecerit, compertum facile habere poterit, quam saepe graviora ista symptomata, quae confluentium variolarum morbum comitantur, et ipsa maior febris vehementia, etiam alias ex primarum viarum colluiei morbosa et praesertim quidem abundantius biliosa

(20) *Opp. univ. p. 146.*

*Opp. p. 370.*

(21) *Diss. epist. ad Guil. Cole.*


(22) *ibid. p. 380.*



liosa, oriantur, nec forsitan magnam difficultatem is reperiet, in deriuandis eadem ex origine et minori gradu leuaminis, confluentium quam discretarum eruptionem plerumque subsequens, et saluationis citiori ac abundantiori in confluentibus impetu, licet vtrumque hoc malum alias etiam habere causas possit. Videtur enim obseruatio omnino docere, saluationem, ceteris fere paribus, magis abundare in corpore quoad primas vias minus puro, et, ex pluribus causis febris, variis cum symptomatibus ab eruptione vltterius perseuerantis, haud infrequentem esse, primarum viarum sordes, praesertim biliosas, secretionum et excretionum vitio in praecordiis collectas. Annon ergo hinc probabile, variolas confluentes prae discretis frequentius coniunctam habere vitiosam et praecipue biliosam ad primas vias colluuiem? Attamen et vltterius huic argumentationi aliquam addere fidem videtur ipsius confluentium eruptionis cum erysipelate et morbillis, quibus illa similis est, instituta comparatio. Quod enim GALENVS<sup>(23)</sup> innuit, erysipelas a bilioso succo nasci, eiusque curationi medicamenta quae bilem expurgant, inferuire, recentiorum complurium obseruatione, quam et propria cuiusuis probe attenti experientia facile confirmauerit, satis comprobatum reperimus. Ita enim de erysipelate agens docet MEADIVS<sup>(24)</sup> *Non sane alius quiuis morbus acutus facilius iteratam purgationem fert, praesertim vbi cum tumore inflammatio caput obsidet*; similiterque fere cl. BROCKLESBY<sup>(25)</sup> inter alia vtilissima de hoc morbo obseruata notat: *no acute*  
F. ver

(23) *Methodi med. L. XIV. c. edit. Goett. p. 17.*  
i. et ii.

(24) *Monit, et praecept. med. uations London 1764. pag. 143.*



*Fever whateuer bears artificial purging so early without disturbance as de erysipelas.* Etiam G V A L T. H A R R I S (26) ad erysipelas paulo post institutam venaesectionem cathartica leniora commendat ad aestuantes humores euocandos et bilem praedominantem compescendam. Pariterque I O. F R E I N D (27) satis mihi, inquit, experimentis esse edoctus videor, ut pronuntiem in capitis erysipelate si quando cerebro tentato oboriatur coma, delirium, neruorum distensio, aut nullam esse salutis spem, aut purgantia maxime profectura; neque in his rerum angustiis expectandum esse, quod et in variolis experimur, dum vel febris lenita sit, vel tumor plane subsederit. Eadem plane sententia est I O. B A P T. B I A N C H I (28) et T I S S O T I (29), qui ambo et quoad originem et quoad curationem G A L E N O plane, non quidem ex hypothesi, sed obseruationibus permoti, adstipulantur. Annon ergo secundum haec etiam valde probabile, confluentes, variolas hisque propius accedentes cohaerentes aut contiguas morbum sistere ex variolis et erysipelate, praesertim faciei, complicatum? Haec autem, licet arrideat, sententia minime tamen nos permoueat, ut generalem curationis regulam ad confluentium nomen constituendam, nec in aegroto quolibet in praesentia indicantia, quae caetae non minus ac satis efficaciae medelae normam praebeant, inquirendum esse, existimemus. Sed superest, ut nonnihil quoque de similitudine confluentium variolarum eruptionis cum illa morbillorum, a S Y D E N H A M O etiam asserta, subnectamus. Longissime quidem ab ea  
me

(26) *Diff. Med. et Chirurg. VII*  
pag. 123.

(28) *Histor. hepat. T. 1. p. 423.*

(27) *Comment. VII in libr. epid.*  
*Hipp. edit. Paris. 1735. p. 51.*

(29) *Diff. de febribus biliosis*  
*Lausann. 1758. p. 161.*

me abesse sententia fateor, aliquam ex hac similitudine complicationem horum ipsorum exanthematum, quorum nempe vtraque proprium suum postulare contagium extra omne fere dubium positum esse existimo, probabili satis consequentia colligi posse. Attamen cum haec etiam a SYDENHAMO aliisque proposita, et per autopsiam saepissime stabilita, conuenientia eruptionis confluentium variolarum cum illa morbillorum eandem quodammodo confirmet, quam declarauimus morbi confluentium variolosi naturam, nec plane indignam attentione hanc censuimus comparationem. Obseruauit iam RHAZES *inquietudinem et nauseam et moerorem in morbillis abundare magis quam in variolis, nisi variolae sint pravae*, indeque concludit (secundum versionem IO. CHANNING) <sup>(30)</sup>, vel pro ipsa causa illorum symptomatum habet (ex interpretatione MEADII) <sup>(31)</sup>, *morbillos ex sanguine oriri admodum bilioso*. Huic vero vniuersali assertioni licet adstipulari nolimus, minime raro tamen biliosae indolis febrem, et quae vomitiones atque alui laxitatem commode ferat, quin etiam subinde postulet, morbillos, et frequentius quidem ac variolas discretas, comitari, complurium Scriptorum fide dignissimorum testimonio, ipsoque rerum usu, facile confirmari existimamus. Ita enim SYDENHAMVS <sup>(32)</sup> quoque symptomata inter ordinaria morbillorum regularium eruptionem praecedentia refert, aegros vomere, saepius tamen laborare diarrhoea, cum deiectionibus subuiridis coloris.


<sup>(30)</sup> Lib. citat. p. 39.

*de variol. & morbill. lib. Goett. p. 96. 97.*

<sup>(31)</sup> Libell. RHAZES latine redd. quem proprio suo adiunxit

<sup>(32)</sup> Sect. IV. C. V. Opp. pag. 196.





coloris. Vomitum quidem, addit SYDENHAMVS, post eruptionem morbillorum nunquam obseruauit, sed contrarium praestantissimus TISSOTVS refert, dicens, *J'ai vu quelque fois, qu'un vomissement de matieres bilieuses vn ou deux jours après l'eruption soulageoit beaucoup plus que l'eruption même* (33). Non opus videtur plures adducere testes; praeterire tamen haud licebit, ill. pariter Praesidem, prouti Auditoribus suis confirmauit, biliosam morbillosae febris conditionem et maxime salutarem vomitionum aequae ac diarrhoeae spontaneae successum frequentissime obseruasse, neque raro indicantia istas ciendi vacationes reperisse, vbi etiam optima semper illarum viderit effecta (34). Atque hinc iam satis constare arbitror, ipsa etiam illa eruptionis variolarum confluentium cum eruptione morbillorum (similitudine quodammodo illustrari et vltcrius confirmari, quod aliis ex rationibus probatum dedimus, biliosam nempe febrem et erysipelaceam plerumque saltim, si non semper, illam habendam esse, quae confluentium variolarum, grauiusque cohaerentium, morbum comitatur, atque ideo praesertim peculiarem in praxi attentionem mereri, quae hunc inter et illum discretarum intercedit, differentiam; licet etiam hoc respectu minime accuratam esse hanc partitionem existimemus, quod, similiter ac biliosae multae occurrunt febres non simul erysipelaceae, ita quoque variolae subinde obseruantur cum biliosa febre coniunctae minime confluentes.

## §. VI.

(33) *Avis au peuple* §. 222. p. 252. Confer. §. 223. p. 253.

(34) Conferri meretur ipsius etiam sub praesid. a cl. FRID. LVB.

MAY Gott. 1767. habita Diss. de amplitudine generis febr. bilios. §. XI, p. 51. sqq.

§. VI.

Liceat nunc etiam disquirere et paucis exponere, quod de variolarum discretarum aequae ac confluentium in *regulares* et *anomalas* distinctione sentiendum videatur. A multis hanc partitionem plane non usurpatam, a quibusdam pro synonyma illius in benignas et malignas habitam reperimus (35). Sydenhamus, ut constat, eam diuisionem primus introduxit, quasque sub regularium nomine descripsit, antea quoque *genuinas praeteris*, neque *mali moris* fuisse, *paucosque iugulasse*, dixit, easque *καὶ νόσηται* prorsus eadem exhibentes, atque sic incedentes ut *parili symptomatum agmine* omnes, quotquot adortae fuerint, impetiuerint, se obseruasse retulit, et ab illis, tanquam *in suo genere perfectissimis*, tum veram morbi historiam tum etiam medendi methodum desumendam esse iudicauit. Certis annis sic obseruatas, ait, *regulares ideo mihi licebit indigitare, ut ab anomalis subsequentium annorum valeam dispefcere* (36) pro synonymo regularium etiam nomine *legitimarum* utitur (37). Facile igitur quisque animaduertent, Sydenhamum sub regularibus intelligere, quarum decursus ita bonus et facilis et mitis et ordinatus, periculoque tam immunis est, qualem exoptare permittat complurium diuersae indolis variolarum comparatio. Notat etiam ipse accidentia anomala, ubi minus recte tractetur morbus, eidem superuenire (38). Ad anomalas refert variolas discretas, quarum eruptio in tertium diem incidit, ad eam magnitudinem ac alias non adsurgentes, sub diebus vltimis


(35) IO. IVNCKER *consp. med.*

(37) *l. c. p. 162.*

*theor. pract. Tab. LXXVI. p. 618.*

(38) *l. c. p. 132.*

(36) *Opp. p. 130. 131. 132.*



timis, vbi iam maturuerint, frequentius nigrescentes, atque saluatione instar confluentium stipatas (39); aliasque nigras, minus putridas, naturae autem magis crassae et incoctilis, tardius periodum absoluentes, quam vllam aliam speciem (40). Quae ipsa, cum pluribus aliis, minus ordinate minusque ex voto succentibus, facile declarant quo sensu *anomalarum* nomen SYDENHAMVS vsurpauerit. Si alios bonos Auctores conferamus, reperimus complures simili ratione, vel iisdem sub nominibus vel sub aliis etiam, variolas quoad indolem ac decursum pariter distinxisse (41). Omnino quoque asseuerare licet, *regularem* dari morbi variolosi decursum indolemque, si nempe natura vel sponte sua omnia, quae ad recuperandam salutem requiruntur, iusto modo, gradu, ordine, perficiat, vel etiam facillimum et rarum modo medentis consilium auxiliumque postulet; cuius conditionis variolae haud raro certe obseruare contingit, quasque, vt a curuo rectum, et a morbo sanitatem, ab anomalis quibusque diuersissimae sane indolis, accurate distinguere iuuat. Quemadmodum tamen nec ipsa sanitas gradibus et varietatibus caret, ita nec vna perpetuaque in regularibus variolis conditio assumenda erit. Ideoque nunc pluribus nunc paucioribus, nunc his nunc aliis, ad regulares consiliis locus erit, pro ipsarum varia, eademque maiori minoriue ad anomalarum certas indoles, seorsim omnino distinguendas, inclinatione.

§. VII.  
 Quod ad diuisionem variolarum in *benignas* et *malignas* supra allegatam attinet, pendent ideae horum


(39) l. c. p. 207.

(40) l. c. p. 234.

(41) Conf. in primis LOBB on  
 the Small pox p. 7. §. 3. 194.

generum ab illis, etiam alias cum vocibus benigni et maligni morbi generatim coniungendis. Manifestissime autem inter se multum dissentiunt Medici in vsurpanda voce malignitatis. Sunt quidem qui eius in vsu respiciunt ad subdolan et insidiosam aliquam indolem, minus euidente praesertim ratione plus nocentem quam terrefacientem, quo in sensu ipse HIPPOCRATES vocem *κακωνδης*, a latinis per malignum translata, minime raro fuit; videnturque praeterea pleraque ipsius de malignitate in acutis notata, perturbatas in primis ex occultiori origine, et maiori simul cum discrimine, systematis neruosi functiones declarare. Maxime optandum esset, a generaliore isto, proprio et Hippocratico vocis vsu seriores Medicos haud recessisse; longe diuersissima enim, quam plurimi dederunt, eius explicatione, et praesertim dum certas malignitatis causas constituerunt, peculiaremque illi opposuerunt medelam, detestandam certe noxam, multis optimorum confitentibus, medicae doctrinae intulerunt. Neque celeb. GAVBIO (42), eleganti et accuratissimo ceteroquin Scriptori, plane assentiendum censemus, vbi malignum morbum definit *per insidiosae mitem, sub phaenomenis non ominosis aggressum, ex improviso grauissimis symptomatibus naturae vires opprimentem*. An enim non ominosa dici possunt, quae maligna dixit phaenomena HIPPOCRATES, et post ipsum fere omnes; siquidem ideo maligna dicta sunt, quod periculum ominentur? Et annon datur secundum HIPPOCRATEM malignitas, praesertim in acutis, praeter illum a cel. GAVBIO indicatum decursum? Annon vero alii quoque celebres in arte vi-  
ri

(42) *Inst. path. medicinal. §. 876.*



ri ab hac idea multum recedunt? Sunt enim qui caussae morbi vehementia malignitatis in acutis veram significationem denotari tradiderunt (43). Sed multi etiam medicorum longe specialius, neque tamen inter se plane consentientes, vtuntur vocibus illis latinis benignitatis et malignitatis, quam mos apud graecos fuit voculas *κακονδες* et *ευδεις* adhibendi. Sic enim haud pauci subitam in primis virium prostrationem pro malignitatis primario caractere assumerunt; cui tribui annumerare possumus summum BOERHAAVIUM (44), eos *malignos* dicens *morbos qui subito vires destruunt*, qui tamen alias fere nihili hanc diuisionem aestimauit; praeterea et MORGAGNUM (45), et HOFFMANVM (46), et TISSOTVM (47); eandemque sententiam alii etiam quamplurimi fouent. Sed an vere secundum HIPPOCRATEM tanti aestimandus est hicce caractere? Et an opus omnino est, vt ab illius mente hac in re multum recedamus? An autem malignus secundum illum esse non potest, sine subita virium prostratione? Quam saepissime enim de phreniticorum affectionibus malignitatem praedicat, quibuscum certe non semper illa virium prostratio coniuncta reperitur (48)? Annon etiam subita virium prostratio quandoque ex caussis oritur, quas absque difficultate tollere licet? *subitaneam virium consternationem* cum SYDENHAMO (49) saepe vide-

(43) ill. de HAEN *Rat. med.*  
P. XI. p. 125.

(44) *Prael. in Inst. med. c. notis Halleri* Tom. VI. p. 92.

(45) *de sedib. et caus. morb.*  
Epist. 49. art. 23.

(46) *Med. rat. system.* Tom. III.  
sect. I. cap. VII. §. 7.

(47) *Avis au peuple.* §. 243.

(48) conf. BRENDÉLII *Diff.*  
*de phrenitide, atque illa de cognat.*  
*paraphrenit. et febr. melign.*

(49) *opp. vniuers.* p. 56.

videmus emetico tolli (50). Et *annon venaesectio toties suppressas vires erigit?* bene hoc norante, secundum vulgarem experientiam ill. v. SWIETEN (51) Et quis medici nomine haud indignus plures non perspectas haberet etiam subitae et magnae prostrationis virium causas? Non solent vero manifestioribus ex causis ortas debilitates subitas pro malignitatis indicio habere. Annon igitur quo minor medici perspicacia quoad causas detegendas fuerit, eo frequentius malignitatem culpandam reperiet? Nonne optime BOERHAAVIUS: *ignorata symptomatum ratio inanes malignitatis fabulas produxit* (52)? Ill. de HAEN (53) quidem eos morbos appellat malignos, *quos symptomata insolita, aut solito grauiora et numerosiora comitantur*; et alio loco (54) *pertinacem resistantiam aduersus selectissima optimaque artis praesidia, vt signum malignitatis profert*. Sed quis veri fincerus nec ineptus aestimator non maxime vagas, et summe fallaces has definitiones censeret, si non leuissime plane illas ponderauerit? Annon et his recte opponitur verissimum modo allegatum BOERHAAVII dictum? Minus autem prolixis nobis esse licet, cum quoad integram quidem de malignitate doctrinam, praesertim vero quoad istos ab ill. de HAEN propositos characteres, ad solidam clar. HENR. MATTH. MARCARD Amici et ante paucos menses Commilitonis aestumatissimi tractationem nobis modo prouocandum videatur (55). Neque opus existimamus, illorum cetero-

quin

(50) conf. v. SWIETEN *Comment. T. II. p. 271. 272.*

(51) *L. c. p. 285.*


(52) *aphor. de cogn. et cur. morb. S. 950.*

(53) *Rat. med. T. III. cap. 1. p. 4.*

(54) *Libro cit. T. XI. p. 125.*

(55) *Spectmen Exam. rigorosior.*

*malignit. febrilis Goettingae 1770.*



quin optimorum Scriptorum sententiam hic multis disquirere, qui in putrida febrium indole malignitatis characterem constituerunt, quod hoc ipso in laudato specimine (56) et in illo cl. Doctoris AVG. EBERH. BRANDE (57) iam satis expositum existimemus, quam facilis ad errores via etiam per hunc vocis malignitatis usum pateat, in quo praeterea nec omnes Medicorum celebriorum consentiunt. Ita enim v. c. cel. ELLER (58) malignitatem, *istam febris indolem denotare, docuit, qua morbus febrilis vehemens per contagium communicari et epidemice grassari solet.* Per hanc definitionem omnes variolae verae, ubi modo epidemicae, etiam si mitissimae et perfecte regulares fuerint, pariter ac morbilli, semper malignae habendae sunt. Sed an quaeso haec idea commendari meretur? certe neque consentit Hippocraticae nec Haenianae, neque Gaubianae, neque Hoffmannianae, neque Huxhamianae, neque Brendelianae, neque pluribus aliorum. Horum autem ideae omnium inter se quoque discrepant. Quam ergo eligamus, cum tamen bona vox sit, cuius abusus verum rectumque usum non tollat? Libenter vteremur eo sensu, quem sermo communis postulat, quo etiam intelligendum videtur HIPPOCRATIS *κακονδες*, nisi metuendum foret, hunc sic, illum aliter nostra dicta assumpturum esse; nisi asyllum ignorantiae, ut multi notarunt, vox illa saepius praebuerit, ac etiamnum praebeat; nisi eandem ideam, aliis etiam vocibus commode exponere liceret; et nisi tandem accuratiores longe et practicis usibus magis acco-

(56) §. XI. p. 51.

(58) *obs. de cogn. et curand.*

(57) *de putridarum febrium differentiiis* Goetting. 1768. *morb. Sect. VI. p. 112.*

accommodatae febrium diuisiones illam in benignas et malignas plane superuacuum redderent.

### §. VIII.

Licet equidem ex hisce iam liquere videatur, nec in doctrina de variolis partitionem illam in benignas et malignas satis tuto et sine damnosae fallaciae metu adhiberi, ex instituti tamen ratione paucis etiam disquiramus, quomodo se habeat harum vocularum, quoad variolas vsus, et num forte in praxeos commoda probabiliori nitatur fundamento. Ex primariis qui hanc diuisionem laudarunt, RICH. fere MORTONVS (59) est, qui quidem, pro praesente spirituum vel veneni robore et praepollentia, benignum vel malignum illarum morbum generatim appellari voluit, attamen vltius et specialiora, quae in dubia vel incerta et in certa vel demonstratiua distinxit, criteria proposuit. Prolixum nimis foret, magnum vtriusque generis numerum ex ipso memorare, singulorumque hoc loco ponderare momenta. Videntur autem plurima illa, quae tradidit, malignitatis indicia, omnia fere comprehendere, quae difficilia et periculosa sine manifesta externa causa, in morbum variolarum incidere possunt, et quae praesertim iam ab initio se declarent, et grauiores sensim ac euidentiores noxas inferant. Diuersissimae ac saepe contrariae plane indolis criteria haec facillime reperies, quae non aptius medentem dirigere possunt, si malignitatis nomine illa comprehendas, quam si seorsim praetermissa plane hac denominatione, singula consideres, vt ideo  
secun-

(59) *opp. med. T. III. p. 113 et 114.*






secundum illum fere perinde sit, vtrum nomine peiorum an malignorum nomine vtaris. Et, si generalem ipsius ideam, antea iam memoratam, de veneni in malignis prae spirituum robore praepollentiam attentius perpendas, atque hypotheses de spiritibus obrutis, dissipatis, irretitis, expansis, colluctantibus, deletis, veriores ad rationes exponas, ob condiciones tamen et causas debilitatis plures, in variolarum initio aequae ac in curationis decursu necessario distinguendas, certe non habebis, quod ex hac generali a MORTONO tradita variolarum in benignas et malignas partitione plus commodi quam ex illa boni et mali moris, vel melioris peiorisque conditionis exspectes. Aequae fere amplam et diffusam malignitatis in variolis significationem a pluribus assumptam reperies, ex quibus FRID. HOFFMANNVM (60) nominasse suffecerit, qui quidem in benignas, malignas et mediae inter vtrasque naturae variolas distinguit, et pro malignis habet, et quae nimis cito et quae nimis tarde proueniunt, quae depressae manent ac suppurationem renuunt, quarum plurimae liuescentis et ex parte nigri coloris, vel nigro limbo stipatae fuerint, in quibus aegris post eruptionem sufficientem pulsus celer persistit cum inquietudine, qui erecti animo facile linguuntur, quando petechiae vel pustulae paruae miliares se miscent etc. Scriptor hic celebris manifeste partem tantum difficiliorum ac saepius lethalium variolarum, ita quoque discrepantium vt maxime diuersam postulent medelam, sub malignarum nomine memorat, quarum condiciones omnino accuratius distinguendae sunt, si aptam morbo medicinam facere velis. Bene quidem  
sua

(60) *Med. Rat. Syst. T. IV. P. I. sect. I. c. 7.*

sua in partitione notauit MEADIVS (<sup>61</sup>) quod tamen iam abunde a SYDENHAMO et Arabibus obseruatum reperies, discretas interdum confluentibus perniciosiores occurrere, et ideo diuisionem in discretas et confluentes non sufficere, eidemque illam in benignas et malignas, quasi synonymicam substituere sine errore haud licere. Iam vero perpendamus quoque an in illa, quam ipse tradit, partitione acquiescere nobis liceat. *Simplices variolas* quas *malignis* opponit, per illas definit, *quae cum febre simplici cito desinente prorumpunt, facile maturescunt, in pus sincerum paucos post dies vertuntur et in crustas tandem decidunt.* *Malignae* vero ipsi sunt, *quae cum febre maligna se ostendunt, aegre ad maturitatem perueniunt et prorsus non suppurant, aut si aliquatenus id eueniat, calore febrili nunquam se remittente, non sine magna molestia in crustulas vertuntur.* In hisce corruptionem humorum, et mixturam sanguinis ita perturbatam credit, vt materia purulenta in cutem abscedere nequeat. Denique quatuor malignarum species scilicet *crystallinas, verrucosas, siliquosas, et sanguineas* proponit, si tenuis modo, asserens, liquor aquosus exprimatur *crystallinas* gigni, si spissior et tenax is fuerit *verrucosas*, intus vero si recedat, et in canales, qui lympham vehunt, receptus, vesiculas, quas ex citauerat, vacuas relinquat, *siliquosas*, oriri, vbi vero omnibus vitae officiis ineptus sanguis in ductibus suis obstruatur ac haereat, maculis nigris quae vere essent gangraenae cutim suffundi, cruoremque per omnes meatus corporis perfluere; vnde species haec *sanguinearum* nomen adepta fuerit. Sed primo ipsae generum traditae definitiones cognitae iam ponunt simplicis et malignae febris ideas, et quem quaeso Aucto-

rem

(<sup>61</sup>) *opp. med. T. I. Tract. de variol. et morbill. Edit. Goett. p. 17.*



rem in hisce assumendis nunc ducem sequamur? Praeterea satis manifeste apparet, nec ipsum MEADIVM tanti, ac ab aliis quibusdam factum, suam in simplices et malignas variolarum diuisionem aestimasse, vt nempe ex malignitate ad peculiarem medendi methodum concluderit. Malignarum enim nomine difficilioris atque periculosis indolis praecipuas tantum species quasdam, a se obseruatas, a simplicibus siue plane regularibus aut ab his non multum discrepantibus, distinguere voluit, satis clare docens, malignitatem pluribus quoque modis se prodere. Quoad curationem simplicium, varias etiam conditiones aegrotantium attendit, et in illa malignarum, propriam ait animaduersionem desiderare singula earum genera, horumque dein cuius peculiarem opponit medelam. In MEADII ergo doctrina variolae malignae sunt genus grauiorum et periculosis decursus morborum variolosorum, vltius in species certas partiendum, pro quarum caractere, praeter malignam febris indolem, ipse tantum habitus et conditio pustularum assumitur. In curatione vero singularum specierum, ad feri atque sanguinis certa vitia, viriumque vitalium defectum respexit, et si HVXHAMII praeccepta de lentarum neruosarum atque putridarum petechialium febrium discrimine probe animo tenueris, facile apparebit priorem in crystallinis et verrucosis, posteriorem in sanguineis MEADIVM obseruasse. Verum an etiam consentit idea malignitatis Meadiana cum dictis Hippocraticis, in magno semper adhuc pretio habendis? annon haec vera etiam in variolis malignitatis indicia declarare poterunt, praeter nominatas a MEADIO pustulas malignas? Et an ad has pustularum species restringenda malignitas cum periculosis decursus etiam ante eruptionem, atque post illam sine crystallinis,

stallinis, verrucosis, sanguineisque variolis sæpe innotescat? (62) Annon quoque, si febrium quoad humorum atque virium neruosarum conditionem discrepantia, secundum ipsum MEADIVM, in malignis variolis attendenda est, characterum plurium satisque certorum in distinguendis variolarum febribus aptius rationem simul habeamus, atque aliis potius, quae prostant, nominibus, sinistrae et multifariae, minus ac illa benignitatis ac malignitatis, interpretationi obnoxiiis vtamur? Iam vero nec praetermittenda erit ill. de HAEN (63) de malignarum variolarum a benignis discrimine proposita sententia. Memorauimus iam illum docere, eos solummodo morbos appellatione malignitatis recte insigniri, quos symptomata insueta aut longe solito grauiora, numerosioraque comitentur, atque malignitatem morbi acuti accidens quoddam non autem eius de essentia esse, quod ipso variolarum exemplo probare contendit (64)? Refert autem, certum vbi ad malignitatis gradum morbus peruenit, tam aliorum quam suam medendi methodum in multis defecisse, quare efficaciorum medelam exspiscaturus, aliis secundum indicantia quoque exhibitis, corticem Peruuianum, vel declarante se malignitate, aliquamdiu post eruptionem exanthematum, vel cum ipsa, vel ante ipsam vel ab ipso morbi principio, illico, summo cum effectu dederit (65); quod remedium dein

(62) conf. modo magnus numerus indiciorum malignitatis apud Mortonum superius citatorum, et tabulae bonorum atque malorum symptomatum apud Lobium lib. laud. introd. p. 5. vt etiam apud


ill. Equit. de ROSENSTEIN von Kinderkrankh. p. 120. - 127.

(63) *Rat. med. p. III. cap. I. p. 3. 4.*

(64) *Rat. med. p. IV. c. I. §. 1.*

(65) *Rat. med. p. III. p. 36.*

D




ob malignitatem exhibitum magnis encomiis extollit (66) atque de sua methodo affirmat, quod sibi ea felicissime cedere soleat, aliisque in nosocomiis impense laudetur. Mittamus nunc generalem ab ill. hoc Viro assumptam malignitatis ideam, et attendamus modo, quoad variolas, ipsum eius doctrinae sensum. Omnino docet, vbi ad certum etiam gradum in variolis peruenerint symptomata insueta, aut longo solito grauiora numerosioraque, corticem Peruuianum illico exhibendum esse, neque nominatis ipsis symptomatis suetis aut insuetis, neque declarato per aliquos characteres gradu solito grauiori, neque indicato numerosiorum numero, neque postulata ad symptomatum causas, quibus medela accomodari deberet, attentione. Suffecerit nobis hanc ipsius sententiam modo proposuisse, atque ad censuram cl. MARCARD iam allegatam iterum prouocasse. Sed nec reticere licebit assensum quem ill. TISSOTVS illi diuisioni praebuit (67). *Malignitatis signa, ait, plene in nouo de febribus tractatu enarrata, malignitatisque species et vocis excusationes hic non dicam; sit satis, summam debilitatem, pulsus minimum, febrem indefinentem, et anomale exacerbantem, leue sed continuum delirium, pustulas minimas, aquosas, ichorosas, nigras, maculas cutaneas, haemorrhagias ubique pororum et colorum, anxietatem continuam, fastidium, apathiam, malignitatis in variolis esse criteria haud aequivoca.* Sane qui huius optimi Scriptoris, summo cum studio et accuratione singulari non nisi sollicitate distinctis aegrorum quam plurimis conditionibus isto in libello egregie accomodata medendi praecepta, sub quorum demum finem haec de malignitate adiecit, probe

(66) *Rat. med. ibid. p. 64-73.*

(67) *Epist. ad ill. Hallerum de variol. apoplex. et hydrop. p. 81.*

be perpenderit, facile satis munitum se perferent, quo minus ista idea aliquem in errorem deduci se patiat. Diuersam febrium cum variolis coniunctarum rationem tam exacte hoc in scripto exposuit, et aduersus illam ac ad ipsas quoque symptomatum et quorumuis phaenomenorum causas medelam semper ita bene dirigere docuit, vt hisce de malignitate subiunctis opus plane non habuisse, et modo in aliorum, qui hanc vocem amant, gratiam ista adscripsisse videatur. Quae vero proponit signorum malignitatis nomine, certe periculosis morbi sunt indicia, praesertim quidem ad bina ista genera febrium, putridarum nempe sanguinearum et neruofarum lentarum referenda, quarum febrium et curationis ipsarum diuersitatem statim etiam postea breuibus repetit. Certe non desiderare potest Vir cel. vt pro definitione assumantur proposita malignitatis variolarum indicia simul sumta; valde angusta enim haec esset definitio, cum nimis raro omnia illa vno in aegro coniungantur, et nonnullae conditiones aequae graues, malignitatis nomen forte non minus promerentes, praetermissae sint. *Pulsus minimus et summa debilitas et delirium continuum* ab ill. TISSOTO requiruntur ad malignas. Quid vero sentiendum de illo statu, vbi variolae multae nigrae, reliquae pleraeque liuidae, et maculae maiores liuido profundiori colore praeditae, cum pulsu arteriarum magno, calore vehemente, delirio plane nullo, saluatione immensa, exsiccatione a vigesimo demum die incipiente? annon etiam haec satis malignae? quales verissime obseruauit ill. Praeses, *Leue sed continuum delirium* ill. TISSOTVS postulat. An vero excludendum est vehementius et interruptum, sed facile recurrens delirium, quale cum pessima variolosi morbi conditione



ditione quandoque coniunctum certissime occurrit. Pustulas male comparatas modo nominat hoc loco *TISSOVS*, cum tamen ipse alibi malignas etiam fieri posse tradat variolas optimae indolis (68). Antea et ipse ad malignas retulerat diarrhoeam, vires cum animi defectibus et extremorum refrigerio conuellentem, cui opium bono cum successu opponi dixerat (69); quare vero hunc statum nunc praetermittit in suo magno malignitatis indiciorum numero? An ergo acquiescere licet in hisce vel ab ill. *TISSOTO* propositis, malignitatis criteriis? An et vlla vera utilitas ex constituto, secundum ipsum, certo malignarum genere expectanda est? Nec ergo vllas reperimus, quae nos moueant, rationes, ab ea quam sub fine superioris *Sphi* proposuimus, sententia, quoad variolas, recedendi. Eo vero minus dubitamus, hanc illarum negligere diuisionem, quod a celeberrimis etiam in arte viris, quorum plures quoque grauem ab ea diuisione noxam siue doluerunt siue metuerunt, *SYDENHAMIO*, *BOERHAAVIO*, *LOBBIO*, *HILLARY*, *HARRISIO*, *DE ROSENSTEIN*, vel plane praetermissae voces istae, vel ad rationem communis modo sermonis vsurpatae sint; quod etiam perquam facile finistre intelligamur vocibus istis vtentes, cum tam insignis differentia in ideis Auctorum, qui illis vsi fuere, reperiatur; quod nec illarum in arte vsus necessarius, nobis videatur: licet omnino largiri teneamur, bonos ad Scriptores intelligendos operam adhibendam esse, quo cuiusvis mentem in vsurpatis illis vocibus accurate comprehendamus.

§. IX.

(68) *Epist. laud. pag. 54. 55.*


(69) *l. c. p. 36.*

## §. IX.

In variolarum autem distinctione, ratione febrium hunc morbum comitantium, HVXHAMVS (7°) permultum lucis attulisse videtur, dum harum tria a se inuicem discrepantia enumerauit ac descripsit genera, atque peculiarem cuiusuis, propria secundum obseruata, curationem studiose exposuit. *Primo* autem loco febrem memorat vehementem inflammatoriam, tunc plerumque oriundam, vbi contagium variolosum homines infecerit fibris fortibus ac tensis, sanguineque vberiori ac denso praeditis, in quibus inde nonnunquam pulmones, interdum cerebrum, alias quoque fauces vel aliae partes valde inflammarentur, ac sanguis detractus valde densus esset et inflammatorius, vbi et subinde repetita requireretur venaesectio, ad arcendum ex vehementi phrenitide vel peripneumonica inflammatione periculum. *Secundo*, ait, morbus hic interdum accedit cum consuetis lentae neruosae febris symptomatibus, et aegri saepe diu languidi sunt, febris exigua est, spiritus deficient, pulsus debilis, frequens et tremulus, facies pallida et languescens, vrina cruda et tenuis, nec sitis magna neque aestus ingens, vertigo et grauitas capitis continua cum tremore perpetuaque nausea et vomitione, vniuersalis inquietudo, debilitas, lassitudo etc. adsunt; huius generis symptomata pluribus vicibus per septem vel octo dies vna continuare atque tandem in variolas transiisse obseruauit; quae, ait, fere semper valde malam variolarum indolem futuram designant, pallidas nempe, crudas, impressas et sessiles, nec bene adsurgentes, nec decen-

(7°) *Essay on Fevers p. 126. sqq.*





decenter maturescentes etc. *Tertio* addit, variolas interdum febris malignae vel petechialis indolis comitatur, in qua sanguinis crasis plane dissolvitur, nigrae et liuidae maculae apparent, haemorrhagiae sequuntur, et pustulae breui post eruptionem fiunt nigrae, gangraenosae, et saepe cruentae quod saepissime quoque contingit, vbi variolae valde paucae et distinctae. Propositum vero hocce febrium variolas comitantium discrimen experientiae conforme esse nemo forsitan dubitabit, cui occasio non defecit, plurimum hoc morbi genere correptorum conditiones ipsos ad illorum lectulos explorandi, neque etiam, qui cum ipsa *HVXHAMI* relatione, eaque fide dignissima, et reliquae ipsius de febribus doctrinae congrua, aliorum quoque Scriptorum obseruata studiosius contulerit. Inflammatoriae indolis febrem, etiam a *RHAZE* iam bene descriptam (71) illam haud raro deprehendimus, quae variolarum eruptionem praecedat, et interdum cum hac pergit, etiam quandoque in suppurationem pustularum extenditur, vel hac praesente superuenit; talem vero et a quibusdam auctoribus variolosam nimis generaliter habitam esse satis utique constat (72). Praeterea vero nec opus fuerit vltius confirmare, singularem aliquando citius feriusue reperiri cum variolosa febre putridam et dissolutam sanguinis crasin, qualem de tertia specie *HVXHAMVS* memorauit, quam et *MEADIVS* sub nomine *sanguinearum* descripsit (73). Etsi vero longe rarius hisce binis, illius cum lentae nervosae febris notis coniuncti variolarum morbi conditionem, satis distincte propositam, et pro peculiari a reliquis

(71) edit. Channing. p. 81.

anthrac. p. 89.

(72) conf. inter alias hac de re  
WERLHOF. *disquisit. de variol. et*

(73) *Conferrri de hoc specie me-*  
*retur* WERLHOF. l. c. p. 77. 78.

quis peioris indolis vere discrepante specie habitam reperias, minime tamen a bonis Scriptoribus praetermissa plane fuit. Annon enim huc referenda, quae habet RHAZES (74). *Cum febris mitis sit et pacata in superficie corporis, anxietas vero et inquietudo diuturna, exitus etiam variolarum difficilis et ultra diem quintum cunctatus, tu profecto coactus eris iis uti remediis, quae exitum earum facilem reddant; oportet autem id a te fieri: summa cum cautela et intelligentia; uti quoque haec (75): Si videris variolas, post eruptionem cum difficili maturatione duras esse et verrucosas, nec amplius statum aegroti bene se habentem vel si aucta sit insuper eius prauitas, certo scias variolas esse lethales. Etiam sequentia huc probabiliter referenda (76), in illis variolis, quas comitantur febres, quibus non adest vehemens inflammatio, hae res sane et his similes, modo laudata nempe demulcentia et refrigerantia, morbum quam maxime reddunt tardum et morbi tempus protrahunt. Huius indolis variolas etiam a SYDENHAMO esse obseruatas vix dubitare poterit, qui attenderit quasdam naturae magis crassae et incoctilis, tardius periodum absoluentes, ipsum descripsisse; in quibus ex regimine iusto frigidiori noxam animaduertit, aegrumque in lectulo iugiter detinendo ne brachio quidem exserto, blando eius calore pustularum eleuationem et faciei manuumque intumescentiam promouere studuit (77). Hunc febris variolosae in quibusdam aegris genium quoque memoratum reperire licet apud MORTONVM, (78) MEADIVM (79) ELLERVM*

(74) *Lib. cit. cap. VI. p. 93.*(75) *Ibid. cap. VIII. p. 129.*(76) *Ibid. cap. XII. p. 165.*(77) *Opp. vniuers. p. m. 233. et sqq.*(78) *L. c. p. m. 59.*(79) *L. c. p. 35.*

RVM, (80) de ROSENSTEIN (81); eiusdemque exempla etiam in variolis insititiis quandoque obseruata fuere, vbi praeparatio, viribus nimis debilitatis, ultra istos limites extensa fuerat (82).

Etsi vero secundum haec prouti et vsus ipse satis euidenter declarat, de trium illorum febris variolosae generum ab HVXHAMO proposita differentia dubitandum haud fit, atque accuratior eius notitia, habitaque in medendo ratio, certiolem ac feliciorum curationis successum omnino promittat, longeque praestantius quam partitio illa in malignas et benignas ipsum ad vsum, et manifestissime quidem, accomodata fit, minime tamen in diuisione ista HVXHAMIANA subsistendum planeque acquiescendum videtur, si specialiores de variolosis morbis obseruationes exactius consulamus, atque cum illis de affinibus aliis morbis sollicitate conferamus. Caueamus quidem nobis ab hypothesium fallacia, sed operam quoque omnem demus ne quid verae et aegrorum saluti proficuae doctrinae, quoad perspicere concessum, praetermittamus.

### §. X.

Consideremus vero primum earum febrium conditionem, quae inflammatoriae dici solent et possunt, coniunctamque vario gradu diathesin sanguinis inflammatoriam, qualesque, siue absque certae partis internae inflammatione, siue cum aliqua, haud raro in variolarum decursu obseruari perhibentur, atque ipsum etiam primum

(80) de cogn. et curand. morb. p. 136.


(81) L. c. p. 136. 137.

(82) V. DAVID SCHVLZE *Unterricht von der Einspross.* 1769. p. 48. 49. et TISSOT *Inoculat iustificée à Lausanne* 1754. §. XC. XCI.

mum sistunt genus HVXHAMIANVM. Quodsi iam ab initio ad finem harum febrium non intermittamus, ea quoque ad phaenomena sollicitè attendere, quae vitiosam humorum in primis viis praesentem colluuiem declarant, minime raro, immo certe plerumque huius indicia, nunc citius nunc vero serius demum, atque satis manifeste quidem, animaduertere licebit. Aliquando nempe iam ab initio, quod tamen rarius vera in febre inflammatoria contingit, alias autem, atque hoc frequentissime, post aliquot demum dies, circa quartum nempe vel septimum, vel tardius etiam, ubi primum, vera secundum indicantia, sanguinis missionibus, potu ex ptisanis largiori subacido, iustis nitri dosibus, aliisque aptis auxiliis antiphlogisticis, inflammatoriam diathesin oppugnauimus, imminuimus, sustulimus, saporem molestum, quandoque amarum, reddi, crassio rem et molliorem in lingua mucum colligi, nauseam oriri, dolore capitis, cum vertigine, peruigilio, anxietate, etc. adhuc et quandoque fere magis affligentibus. Facile tunc animaduertimus, ubi primum aliquam hisce cum signis familiaritatem affecti fuerimus, plus minusue corruptae et vitiosae materiae, iam ab initio quandoque ad praecordia haesisse, licet morbus ceteroquin tunc mere inflammatorius apparuerit, eam vero materiam eo tempore minus manifestam, minus mobilem, minusque ad excretionem praeparatam fuisse, aut sensim emollitam, solutam, mitificatam, coctam, atque sic aptam redditam esse, quo varias per vias, vel naturae solius opera, vel eadem artis praesidio, conditionibus aegrorum accommodato, adiuta eliminari queat. Contingit quidem interdum, aluo nec sollicitata, nec eadem praeter consuetudinem, quoad obseruamus, quid morborum sponte egerente, cum vrina et

E

sudore



sudore criticis minui sensim et abigi vitiosam primarum  
 viarum colluuiem: accidit vero saepius hoc vel nimis  
 differri vel non satis ex voto perfici; et saepissime con-  
 tingit eam rerum esse conditionem, vt euentum naturae  
 soli non relinquendum esse atque vt purganti, vel etiam  
 emetico, quibus naturae succurramus, omnibus probe  
 pensitatis, aptissimum esse locum animaduertamus, suc-  
 cessu tunc nostrae exspectationi saepe quam felicissime  
 respondente, ita quidem, vt si quid morbi reliquum sit,  
 illud facilius longe ac alias credibile fuisset, vel sola na-  
 turae vi, vel eadem etiam artis vltiori auxilio suffulta,  
 nunc superetur. Minime quidem negamus, sed ipsa po-  
 tius experientia id omnino confirmari largimur, nihil quan-  
 doque vitiosi, quod signis probabilibus innotescat, primis  
 in viis per febrem indolis inflammatoriae colligi; attamen  
 ordinarie, quo vehementior est aestus, quo grauius affli-  
 gitur caput ac pectus, etiam si quandoque fibrae corpo-  
 ris densiores, pulsus durus et magnus, lingua sicca, et licet  
 haec etiamnum fere pura, saporque naturalis et vires  
 animales vix aut parum labefactatae fuerint, eo proba-  
 bilius, nisi alia rarior vehementiae febris eiusque sym-  
 ptomatam causa innotuerit, dein colligendam sensim  
 et extricandam praecordiorum impuritatem esse su-  
 spicamur; quae ipsa tamen, quamdiu nondum praesens  
 et naturae molesta certo cognoscatur, mobilisque sit  
 et quodammodo turgeat, euacuandi nulla plane prae-  
 buerit indicantia. Materies autem haec alienata in  
 praecordiis haerens, nunc certius nunc magis dubie, abun-  
 dantem varioque gradu corruptam bilem, nunc meracio-  
 rem, nunc pituita et humoribus aliis mitificatam sistit,  
 vnde quandoque manifestius veriusque, nunc minus cer-  
 te inflammatoriae indolis febrem cum biliosa complica-  
 tam

tam habere licet. Attamen satis etiam constat, febres vere et maiori gradu biliosas aliquando cum inflammatoriis quoad varios characteres multum conuenire, etiam inflammationes certarum partium veras coniunctas habere posse, licet a sola vere inflammatoriis propria medendi methodo in iis minus commodi quam damni expectandum sit; praetereaque et biliosas febres, aequae simplices ac variis cum exanthematibus atque catarrhis coniunctas, inflammatoriae diatheseos notis, ita quidem, ut vel a minus exercitato vix confundantur, persaepe quoque plane destitui. Haec omnia vero qui Hippocraticis doctrinis, aliorumque obseruationi conformia esse dubitauerit, consulat, si lubet, PROSP. MARTIANVM, (84) et BAGLIVVM (85) et IO. FREIND (86) et SWIETENIVM (87), THOM. GLASSIVM (88), BARCKERVM (89), CORN. ALB. KLOEKHOFIVM, (90) et TISSOTVM (91), ut quoque nonnullas a clarissimis

(84) *Hippocr. notation, explicat. passim.*

(85) *Oper. omn. edit. Lugd. p. 37. sqq. p. 51. et p. 702.*

(86) *epist. de purgantibus; oper. edit. Paris 1735. p. 106.*


(87) *Comment. in aph. Boerb. in doctrina de febribus passim, ut de causa febr. ard. §. 740. de exanth. febr. §. 732. p. 398 et 399. de diarrhoea febr. §. 719 sqq. de convuls. febr. §. 710. de delirio febr. p. 327. & 331. etc.*

(88) *Comm. de febr. VII. p. 88. sqq.*

(89) *Essai sur la conformité de la Med. des anc. et des modernes à Amst. 1749. p. 159. sqq.*

(90) *Opusc. med. Traiect. ad Rhenum. 1747. p. 55. 61. 68. 190.*

(91) *Diss. de febr. biliosis praesertim p. 121. sqq. et in primis quoque huius optimi Scriptoris Lettre à Mr. ZIMMERMANN, sur l'epid. conv. à Laus. 1765.*



simis ill. Praefidis mei Discipulis, in artis exercitio nunc feliciter occupatis, editas tractationes (92).


### §. XI.

Quodsi iam ad aegros quoque sub morbi variolosi decursu accuratius attendamus, eadem ipsa certe, quae modo memorauimus, vitiosae et noxiae, plus minusue biliosae, vel alius indolis morbidae, colluiei in praecordiis haerentis indicia, quae salutarem exhibendorum euacuantium successum, praeparantibus variis, ubi opus, praemissis, nunc praesente simul inflammatoria diathesi, nunc etiam hac deficiente, spondeant, non difficulter, ut nos quidem arbitramur, animaduertemus. Antea quidem iam notatum, febrem confluentium variolarum morbum comitantem plerumque biliosae indolis videri, attamen dubitandum non est, etiam cum discretis haud raro multum corruptae materiae in primis viis collectum reperiri. Optime praestantissimus TISSOTVS in aurea ad ill. HALLERVM epistola, (93) monuit, *pueros, qui abdomen cacochylia fartum habent, quo tempore calor febrilis has sordes corrumpit, grauioribus symptomatibus, morbo alienis corripit, quae suam euacuantem medelam necessario exigent; atque hanc anomaliae causam demonstrari, addit, 1) cephalalgia aut saepe inexcussibili sopore supra vim febris, 2) oris foetore, fastidio et nausea, post eruptionem etiam superstitibus, 3) febre post benignam eruptionem remanente cum anxietate, 4) foetore faecum*

(92) Cl. FRID. LVD. MAY *Diss.* 1769. §. IX. *sqq.* quarum vtraque de amplitud. gener. febr. bilios. mei etiam ill. Praefidis inscriptum Goett. 1766. §. V. *sqq.* et cl. ELLERT habet nomen. de pleuritidum partitione; *ibidem.* (93) p. 76.

*faecum et saepe diarrhoea foetida sine depressione pustularum, cuius generis sub casibus refert se vidisse aliquot aegros aluum impune quadragesies et ultra intra nycthemerum deponere; 5) delirio, 6) lotio crudo turbido, reliqua vero se tacere ait. Verissima certe subnectit, nempe pulchre per aliquot dies pustulas eo etiam sub statu increfcere solere, sub finem vero maturationis et ineunte suppurationis febris tempore omnia turbari, grauissimaque confertim erumpentia symptomata aegrum benignis laborantem variolis orco breuiter tradere, delirum, lethargicum, orthopnoicum, tympaniticum, cum foetida diarrhoea, pulsu abnormi, integra virium prostratione. Initio morbi accersitus, statim addit, quodque lubentissime largimur, funesta symptomata semper cauere potui aegrum quotidie purgando, etc. Nolimus vero ad pueros vnice, et qui abdomen cacochylia fartum habent, colluiei ad praecordia collectae noxas restringi. Animadverteris enim aequae pueros ac adultos, ante febris initium quandoque sanissimos, vegetos, hilares, bene appetentes, digerentes, dormientes, prostratum breui a febris initio appetitum, cephalalgiam, nauseam, anxietatem, etc. sentire, atque dein saepe cum leuamine manifesto sponte vomere, nihiloque minus aliquando, praesertim vero cum natura minus actiuosa fuerit, indicia vitiosae colluiei ipsis relinqui, in qua iusto tempore educenda, artis auxilia optimo cum successu succurrere soleant. Annon ergo etiam in corporibus apparenter sanissimis eo persaepe inclinare videtur natura, vt per ipsam febris efficaciam vitiosa in visceribus separata materies ad alimentarem canalem deponatur, vnde illa dein, vario modo in aegrorum salutem eliminari queat? Annon ipsa frequens cacochyliae in variolis noxa, a bile abundante et acriori magna*





ex parte verifimiliter oriunda, maxime quoque confirmatur saluberrima toties reperta purgatione alui in praeparando corpore ad variolas aequae naturales ac insititias? Etsi ipsa nequaquam in vniuersum omnibus commendanda videatur. *Saepenumero se obseruasse, refert SYDENHAMVS (94), reiteratam catharsin, sanguine nondum inquinato, subsequentes variolas laudabiles et distinctas ut plurimum reddidisse.* Etiam HILLARY (95) ex propria sua experientia id assertum pluribus confirmauit. Ita quoque TISSOTVS (96) bene docuit: *quoique les purgatifs n'entrent pas dans la classe des remedes anti-inflammatoires, ils sont cependant absolument necessaires, avant que d'inoculer; parcequ'ils debarassent les premieres voyes, dont la plenitude rend toutes les maladies inflammatoires très dangereuses, empeche souvent et meme change entierement l'effet des autres remedes.* Satis etiam peruulgatum, quam necessaria ad variolarum prophylaxin aequae ac ad ipsam curationem, purgantia iudicent celebres recentissimi Anglorum Insitores, SVTTON ac DIMSDALE (97). Maxime praeterea confirmari videtur haec ipsa morbi variolosi frequens conditio, quae colluuii ad primas vias haerentis rationem in medendo habendam postulat, per obseruatam quam saepissime naturalium aequae ac artificialium euacuationum integro in decursu morbi

(94) *Diss. epist. ad Guil. Cole* oper. p. 361.

(95) *Pract. Essay on the Small pox.* p. 60. 61.

(96) *L'inoculation iustificée* §. XXXIII. p. m. 51.

(97) Accuratam de methodo ipsis vsitata relationem publicauit,

Regius aulae Hannoueranae Medicus cel. WICHMANN, Hannov.

*Mag.* 52 et 53. St. 1767. Lectu ceterum dignissima ipsa tractatio est:

*The present method of inoculating for the Small pox by Th. Dimsdale*

London 1767.

morbi vtilitatem. *Alui fluxus*, ait FR. HOFFMANNVS (98) licet copiosus, non adeo pertimescendus; eundem enim per totius morbi decursum sine vlllo periculo successisse vidi, tantum abest, vt eruptionem impediuerit. Idemque, quo vltcrius suam confirmaret sententiam, ad similes valde memorabiles AMATI LVSITANI (99) & BALLO-  
NII (100) observationes prouocat. Notatu etiam perquam dignissima sunt, quae de alui fluxuum & medicamentorum laxantium per integrum variolarum grauiorum decursum insigni emolumento praeclare tradidit CLIFTON WINTRINGHAM (101) Etiam ipse iam RHAZES notauit (102): *Ad aluum soluentia adhibenda quandoque coadus eris in variolis, interdum propter excessum caloris, et cephalalgiam, interdum etiam vt leuis reddatur natura, et minuat materia variolarum, quando conieceris istam esse abundantem.* Vomitiones autem ciere, ex optimis quidem nostri etiam temporis Practicis nonnulli plane dissuasurunt. *Vomitum*, inquit cel. TRALLES (103) recte mensententia in variolarum therapia reuicit de HAEN; atque hic ipse ill. de HAEN (104) emeticis nunquam se vsu fuisse, asserit, tum quod illa in vomitum propensio non magis emetico, quam sine eo ante eruptionem pustularum tollatur, et inter alia quoque refert, ipsam BOERHAAVII circa variolas doctrinam sibi adstipulari, altum de emetico silentium obseruantem. Ipsam certe ad vomitum propensionem solam, si nociuae colluiei educendae nulla fuerit

(98) *Med. Syst.* T. IV. p. m. 148 Vol. II. p. 233. 234 et 235.


(99) *Cent.* III. p. 234. (102) *l. c.* cap. XIII. p. 175.

(100) *Epid. et Ephem.* L. I. edit. (103) *De meth. med. variol.*

TRONCHINI oper. T. I. p. 27. *saepe insuff.* p. 77.

(101) *Works of the late Clift.* (104) *Rat. med.* P. II. C. III.

WINTRINGHAM. Lond. 1757. p. 39. 40.



fuerit significatio, nunquam plane pro indicante emetici habendam, et laudandum potius esse BOERHAAVII monitum (105), quo ipse *falsam et periculosam illam esse regulam, vomitus vomitu curatur*, docuit, nos quidem nulli dubitamus. Nimis breuem in hac doctrina magnum fuisse BOERHAAVIVM, quisque dolebit in illa vel mediocriter versatus, ab emeticis autem, huius in morbi curatione plane abstinuisse BOERHAAVIVM multum dubitandi ansam praebent *Boerhauiana* SWIETENII supra laudata dogmata, et ipsius BOERHAAVII alibi traditum praeceptum (106): *Excrementum corruptum febrile ex humoribus prius sanis circa praecordia ludit suas tragoedias, ita ut per solam febrilem excandescentiam mutatum et quasi venenatum factum, praecordiisque affixum, producat morbos cerebrum afficientes, dolores capitis et deliria immania, quae, excremento hoc ablato, sanantur*. Sane qui Auctoris, BOERHAAVIO valde aestimati, THEOPH. LOBB (107) indicantia exhibendi in febris variolosa primis diebus emetici perpenderit, atque dein haecce cum generalibus emeticorum indicantibus BOERHAAVII (108) contulerit, non facile dubitabit, BOERHAAVIVM efficacis etiam huius medicinae tutum in variolis usum satis cautum admisisse et commendasse. Notatum quoque iam supra fuit, magnum ex emetico, ubi confluentes metuendae, praesidium expectasse SYDENHAMVM, cuius summa fuit apud BOERHAAVIVM existimatio (109), praesertim quoad hanc de variolis

(105) *aph. §. 659.*

(106) *Praelect. de morb. nerv. 116.*

p. 460.

(107) *Treatise on the Small*

*pox, Part. I. p. 39. sqq. §. 111.*

(108) *instit. med. §. 1202.*

(109) *conf. orat. de commend.*

*stud. Hippocr.*

riolis doctrinam (110). Sed praeterea claros complures reperimus Medicos, eundem eo in consilio secutos, etiam ita, vt non vnice ad confluentium indicia restrinxerint; licet plures mitius emeticum antimoniato illi SYDENHAMIANO praeferri maluerint (111). Cum vero hinc, vt arbitramur, satis manifeste constet, peculiarem in variolis curandis attentionem postulare haud raro praesentem sensum collectam in primis viis vitiosam et praesertim biliosam colluuiem, atque contra etiam, phaenomena quae hanc in aegris conditionem declarant, quandoque vel plane deficere, vel ita exigui esse momenti, vt nulla illius habenda ratio sit, vbi et purgatio ac diarrhoea pariter ac vomitiones nihil iuuent, sed potius noceant; (112) omnino addenda est illi ab HVXHAMO propositae variolosi morbi diuisioni haec modo exposita, quae nunc deficere, nunc vero et frequentius adesse tradit vitiosam sensum primas ad vias depositam, et maiori quidem

(110) *Aph.* §. 1379.

(111) conf. GVALT. HARRIS *Diff. med. et chirurg. II. Londini 1725. p. 38.* WERLHOF *de variol. et anthrac. p. 94. not. 108.* HILLARY *l. c. p. 63. §. VII.* HVXHAM'S *Essay on Fevers. p. 142.* vbi inter alia docet: *a gentle Emetic not only in Part throws off the morbid Matter, which primarily affected the stomach, but also the heavy putrid bilious colluuiies, that may have been collected in it, the Liver, Gall - Bladder etc.* Etiam TISSOT, qui, licet in *avis an peuple*

§. 212. p. 212. p. 236. emetica et purgantia in morbi initio pernicio-  
sa declarauerat, contra in Epist. ad ill. HALLERVM p. 82. asseruit: *non timenda nimis concussio ex leni ipecacuanhae dosi, quod remedium pulchri est usus in affinis morbis, et tanquam arcanum, vt me iam diu docuisti, in miliari febre famigeratum, feliciterque aliquoties infregi legem, qua me seuerè prohibui, quoad emesin in cura variolosa.*

(112) conf. WERLHOF *l. c. p. 30. not. not. 23.* BALLON *epidem et emphem.*

dem ex parte biliosam colluuiem, siue simul praesto fuerit inflammatoria diathesis, siue minus.

## §. XII.

Iam vero circa putridas etiam febres, cum variolis subinde coniunctas, dispiciamus, annon et has differentia intercedat, quae in ipsa pariter praxeos commoda notari mereatur. De pluribus quidem fatis constat phaenomenis et symptomatibus, quae putridam febris indolem designent, ita tamen diuersa illorum est conditio, vt ex discrepantibus corporis vitiis, in curatione quoque distinguendis, omnino deriuanda videantur. Si enim bilis et reliquae vitiosae praecordiorum colluuei aliquae sunt partes in grauiori producendo variolarum morbo, dubitari non poterit, quin et quandoque putrida cum variolis iunctae febris indoles praecipuam eo ex fonte originem habeat. Ad insignem certe putredinis gradum solo fere bilis corruptae et putridae vitio corporis humores perducunt, pessimamque etiam cum sanguinis valde dissoluti indicibus febrem, et maxime difficilem quandoque petechialem, saepe quoque cum perturbato multum variaque ratione systemate nervoso, plurimae veterum aequae ac recentiorum observationes facile quemuis edocere poterunt <sup>(113)</sup>. Si huiusmodi autem

*ephem. L. II. edit TRONCH T. I. p. 192. Quo et referri forsitan potest obs. 2 in cap. IX. tractationis JAMES BURGESS von der Einsprossung; Bremen 1756. p. 39. 40. Licet pro certo non constet, annon po-*


*tius hic Auctor emetica, vbi recte data profuissent, minus caute, minusque praeparato corpori data nocuisse obseruauerit. conf. ipse HVXHAMVS l. c. p. 143.*

<sup>(113)</sup> De febribus putridis a bile

autem febrium naturam accuratius cognitam habuerimus, veriore quoque conceptum putridae indolis frequentioris febrium variolas comitantium, minimum quoad aliquam, maiorem minoremue, ipsius partem, forte affecuti erimus. Dubitandum fere non est, grauiorem illam putridam diathesin, cum incipiente praesertim exsiccatione confluentium variolarum plerumque inualescentem, cui prae aliis purgantia, iuxta cum vitrioli spiritu, post maxime salutaria FREINDII ET MEADII monita, felicissimo cum successu adhiberi, multorum observatio saepius docuit, etiam aliqua ex parte originem suam biliosae colluuei debere, vtpote quae isto in morbi genere rarius deficere videatur, ac saepe satis certis indiciis vltimo illo in statu se manifestet. Sed praeterea etiam, vbicunque in varioloso morbo, praesertim tertio et quarto eiusdem stadio, vere putridae febris notas cum illis putridarum et biliosarum sordium coniunctas animadvertamus, quod non raro, serius in primis nobis aduocatis, contingit, annon partem vniuersalis putridae corruptionis ab hoc venenato quasi fermento tunc oriri iudicemus, cum idem et alias grauissima putridarum febrium phaenomena, praecipue vbi viridis abundat bilis, maculas nempe fuscas, liuidas, et nigras, similisque coloris pustulas, sanguinis dissoluti fluxus, stases inflammatorias symptomaticas, languores, spasmos, deliria, sopores, producere valeat?

Sed ab hac modo descripta maxime distingui meretur putridae illius in variolis diatheseos humorum origo, quam obser-

le praesertim conferri meretur 149. 154. 155. 159. HVXHAMII *obs.*  
TISSOTI *Diff. de febribus biliosis. de aere et morb. epid. edit. Lips.*  
GLASSII *comm. de febr. p. 122. 159. 260. 322. etc.*



observamus, vbi grauior inflammatoria febris neglecta, & regimine, diaeta et medicamentis calefacientibus maiorem sensim ad vehementiam perducta fuerit. Haec putredo illa esse videtur, quam BOERHAVIVS<sup>(114)</sup> oriri dixit *a causis inflammatione simplici maioribus*, cuiusque genesin alibi prolixius exponit<sup>(115)</sup>. Vt enim alias etiam calor vehementior, sanguinisque motus ordinario multum velocior, si diutius perseuerent, sine omni dubio crasin humorum inuertere ac destruere valent, ita idem quoque, et fere magis, in variolis, etiamsi febris modo simplex inflammatoria fuerit, experientia id manifeste confirmante, metuendum. Intermissio in variolis regimine refrigerante, motisque et conservatis sudoribus, non raro phrenesin, petechias, ceteraque pessimi ominis symptomata sudores hosce mox excepisse, obseruauit SYDENHAMVS, quae non tam a morbi malignitate quam sinistro regimine oriri, multa edoctus experientia iudicauit<sup>(116)</sup>; etiam vbi modo citius iusto ad lectum damnantur aegri, inde saepissime mictum oriri sanguineum, tum etiam maculas purpureas, aestiuo maxime tempore, atque in iuuenta adhuc florentibus, retulit<sup>(117)</sup>. Facile autem est intellectu, ipsa in praxeos commoda hancece, ex nimis increfcente, ac damnosis artis adminiculis magis euecta, inflammatoria febre oriundam, putridam diathesin merito distingui a priore, biliosae praesertim coluuei tribuenda; siquidem prior illa euacuantia plerumque postulet, quae in posteriori, nisi alia coniuncta sit conditio, quam facillime nociua esse poterunt. Iam vero, tertio quoque, loco inter causas putridae, et quidem secundariae

(114) *aphor. §. 703.*

*univ. p. m. 167.*

(115) *aphor. §. 84. 100. et 689.*


(117) *Diff. epist. ad Guil. Cole.*

(116) *Sect. III. C. III. oper. oper. p. 359.*

riae variolatum febris, sine dubio ipsa quoque suppuration referenda est, praecipue si confluxerint pustulae, vel si permagna etiam copia discretarum adfuerit. Suppetias equidem huic ipsi causae ferre possunt, ac fere semper solent, in augendo hoc malo, perspiratio in cute pustulis obsita impeditior, minusque libere succedens vel cessans etiam nimis mature saluatio, neque raro his antea memoratae, quandoque et plures accedunt causae, attamen in eo etiam optimi Scriptores consentire videntur, putridam illam secundariam febrem praecipue tum ex nimis abundante materiae purulentae copia, quam ut sufficiens in pustulis cutaneis spatium reperire queat, tum quoque ex parte absorpta puris ad cutim iam depositi, cum pustulae exsiccari ac faciei tumor desidere coeperit, suam originem habere<sup>(118)</sup>: siquidem febris illa se ita fere habere soleat, ut se habet paucitas et multitudo variolarum, purisque in iis contenti melior vel peior indoles<sup>(119)</sup>. Sanguini admixtum pus, praesertim copiosius et ubi corpus aliunde ad febriles motus dispositum fuerit, putridam excitare febrem posse, inficiari non licebit, cum ad putridam corruptionem is humor valde inclinaret, et ultimae phthysicorum tragoediae hanc eiusdem potestatem satis declarent. Neque ideo mirum, eam ad febrem vel praecauendam vel minuendam, pro insigni etiam praesidio, maturarum pustularum pertusionem, qua pus collectum emittatur, a praeclaris hac in doctrina viris habitam

(118) conf. LOBB *libr. cit.* P. *metque, immo pure adhuc saepe*  
 I. §. 449. *ill. de HAEN Rat. med. plenus sanguis est.*  
 P. II. p. 46. *Totus, ait, pannicu-* (119) TRALLES *vexatiss. insit.*  
*lus adiposus tunc pure statet, tu-* *arg. Qu. V. p. 86.*





habitam esse <sup>(120)</sup>; quae operatio iam ab Arabibus, RHAZE <sup>(121)</sup> et AVICENNA <sup>(122)</sup>, commendata fuit. Plurimum tamen commodi, etiam hanc aduersus causam, secundum praestantissima FREINDII et MEADII praecepta, quae perpetua fere multorum observatione confirmata reperimus, ex alui repetita purgatione licet exspectare, si modo acidi vitriolici vsus satis copiosus cum potu largo demulcente illi adiungatur, simulque reliquarum excretionum successus liberior studiose conseruetur.

Sed praeterea nec dubitandum, aliam a praecedentibus discrepantem, atque iis plerumque grauiorem, rerum conditionem quandoque occurrere, a bonis fere omnibus Auctoribus quoque memoratam, non semper tamen quoad causas et vitiorum corpori inhaerentium indolem distinctam, quam nempe MEADIVS sub *sanguinearum variolarum* nomine et HVXHAMVS sub *variolis illis, quas febris malignae vel petechialis indolis comitetur, in qua crasis sanguinis plane dissolueretur*, descripsit; et HILLARY peculiari de his capite egit, sub titulo *the Bleeding Small pox, or those attended with purple spots and haemorrhages*. Qui bonas de his descriptiones accurate perpenderit, adque ipsis in aegris quaeuis ad phaenomena, perquisitis etiam horum causis,


<sup>(120)</sup> HILLARY *Pract. Essay on the Small Pox*. p. 106. de HAEN *Rat. med. P. II. p. 45. sqq.* HVXHAM *on Feuers*. p. 149. 150. TISSOT *avis au peuple* §. 218. p. 241. Quae vero ill. TRALLES consilio huic opposuit, haud exigui momenti difficultates, *De method.*

*med. variol. haet. insuff.* p. 108-111. minus hoc loco nos tangunt, quam vt a nobis iam ponderandae videantur.

<sup>(121)</sup> *cap. VII. ex edit. Chan- ning*, p. 123. 124.

<sup>(122)</sup> *Canon. Med. L. IV. cap. de variol.*

sis, foilicite attenderit, eum quoque putridae huius variolosi morbi indolis differentem a praecedentibus naturam saepe non difficulter esse reperturum existimamus. Alia enim plane ratio hac in morbi conditione est, ac in vehementiori et protracta inflammatoria febre, cum nimis dissoluti sanguinis praematura sint indicia, sanguinisque missio non modo nihil iuuet, sed increfcenti potius putredini ansam praebet; alia etiam ratio saepe est, quam ut primarum viarum colluiei putrescenti adscribi possit, cum eiusdem indicia nunc deficient, nunc vero praesenti conditioni non respondeant, saepissime nec ab euacuantibus, nisi certo sub statu complicato, quid commodi exspectari liceat, verum contra multum haud raro noxae ex hisce metuendum sit. Nec nisi rerum plane ignarus cum suppuratoria putrida febre hunc de quo loquimur statum confuderit, quippe qui aliquando ante eruptionem, interdum quoque cum illa, alias breui post illam se manifestare, et licet suppurationis tempore increfcat, tamen ab oriunda inde putredine se satis distinguere solet. Profundior saepe cutis in facie, pectore, dorso, artubus, rubor est, pustulae non eleuantur, sed in cute quasi retentae, nimis profunde rubrae, quasi cruentae, passim liuescentes et nigrescentes, haerent, maculae quoque profunde purpurei, vel castanei vel liuidi, vel atri coloris accedunt; etiam vesicae nonnunquam oriuntur velut ex ambustione, sero distentae, quibus subiecta caro nigra et quasi sphacelo affecta apparet, quandoque et integri artus liuescunt; in adultioribus quoque saliuatio copiosa solito maturius accedente solet, eademque dein nonnunquam cruenta fit; praetereaque sanguis, varias per vias, isque tenuis et interdum liuidi coloris, quo citius eo maiori cum periculo,



culo, erumpit. A crasi praesertim globulorum rubrorum sanguinis maxime dissoluta et destructa pessimam hanc variolosi morbi conditionem perspicaces Viri deriuarunt <sup>(123)</sup>, eamque sententiam et ipsa phaenomena et praestantioris curationis, per acida mineralia et antiseptica adstringentia praesertim perficiendae, successus confirmant. Sed testatur quoque experientia, quandoque haud subsequi hanc variolarum speciem, vbi ex corporis habitu vitaeque genere tenuem et aestuosum sanguinem colligere licuit, et contra quosdam illa corripit, vel sanissimos et caute viuentes, vel etiam quos ab eadem saltim alienissimos coniecisses. Infectionem ab optima indolis variolis hae quandoque pessimae praeter opinionem subsequuntur, licet nullis etiam putridis exhalationibus expositus aeger fuerit, nullisque de aliis tantae putredinis, dissolutioni sanguinis maiori coniunctae, causis constet. Metus ac terror secundum aliquas ill. Praesidis obseruationes in quibusdam visae sunt ansam illi corruptioni praebuisse. In his aegris nonnunquam bilis viridis multum, ita quidem, vt aliquamdiu ante retentum et corruptum hunc humorem fuisse, verisimile esset, vix vlllo tamen cum leuamine, aluo et vomitu redditum fuit. Quandoque vomicae occultae, ad sanguinem transmissa inde acri, ichorosa, putrida materie; nonnunquam lumbricorum cadauera in intestinali canali collecta, <sup>(124)</sup> copiosis purpureis, quandoque et fuscis et liuidis, immo quoque nigris, petechiis ansam praebent; quibus ex causis praesertim posterior cum variolosa infectione facile coniungi potest.

Ipsa

<sup>(123)</sup> v. HILLARY *Lib. cit. ch.* <sup>(124)</sup> Conf. inprimis van den IX. P. VII. p. 127. HUXHAM of BOSCH *Histor. constitut. epid. ver. the Small pox, in Essay on fevers, minosae p. 30 et sqq.*  
p. 128.

Ipsa debilitas systematis nervosi, ex nutrimento non satis reficiente, et ex morbo graui nervoso praegresso, atque scorbutica diathesis, praeterea diuturnus frequens aut largus medicamentorum resoluentium efficaciorum vsus, ex quorum numero HVXHAMVS praesertim lixiuia saponacea <sup>(125)</sup>, saliaque alcalica volatilia, et Mercurium, <sup>(126)</sup> consentientibus aliorum obseruationibus <sup>(127)</sup>, damnat, ad pessimam hanc variolarum indolem multum quoque conferre videntur. Neque vero excludendae sunt tempestatum et constitutionum certarum epidemiarum conditiones, huic morborum putridorum generi nonnunquam magis minusue fauentes, in quibus aliquando τὸ θεῖον Hippocraticum animaduertere licet <sup>(128)</sup>.

Peculiarem praeter haec indolem iis in febribus reperiri existimamus, quibus putridae ex cadaueribus, ex grauiter aegrotantibus, et praesertim iis, qui putridis laborant morbis, variisque horum excretis, atque ex aquis, aliisque rebus putrescentibus ortae exhalationes ansam dedere; dum integrum systema nervosum, quoad functiones vitales, motus reliquos spontaneos, sensusque externos et internos, diuersimode, in his magis ac alias, fere proxime affici, nunc opprimi, nunc incitari, nunc alia ratione perturbari solet <sup>(129)</sup>. Felicior etiam hifce febribus medendi methodus ordinarie longe maiorem

<sup>(125)</sup> *Essay on Fevers* Cb, V.  
p. 49.

<sup>(126)</sup> *Ibid.* p. 46. et 133.

<sup>(127)</sup> conf. TRALLES *vexatiss.*  
*instit. arg.* p. 94. *sqq.* TISSOT *Lett.*  
*à Mr. de HAEN* p. 58.

<sup>(128)</sup> HVXHAM *l. c.* p. 131.

<sup>(129)</sup> conf. PRINGLE'S *obs.* on  
*the diseas. of the Army* P. III.  
Cb. 7. on the *Infl or hospital fe-*  
*ver.* HVXHAM *de aere et morb. epid.*  
*edit. Lips.* p. 268. 271.



iorem ac alias attentionem ad affectum systema nervosum postulat; et grauiorem plerumque noxam in his ex omni debilitante remedio aut accidente, ac in aliis, metuendam esse constat. Utque ideo et frequentior in his necessitas est adhibendorum excitantium calidiorum, vt salium volatiliu alcalicorum <sup>(130)</sup>, vini, aromaticum, theriacae, vesicantium etc., ita rarius iisdem conuenire videntur, quae in aliis praestantissimi sunt vsus remedia, adstringentia et refrigerantia efficaciora. Quumque sub epidemia variolosa non raro plures aegrotantes eodem in conclau, eoque saepe valde angusto et valde calefacto et arctissime clauso decumbentes, eodemque in aere alios, in quibus adhuc morbus exspectatur, viuentes offendamus, quum etiam necessaria munditiei cura tam saepe negligatur; fieri certe vix aliter poterit, quin putrida miasmata cum variolosa infectione indeque excitato morbo saepe coniungantur, atque ideo morbus variolosus de natura februm, quae carcerum ac nosodochiorum dicuntur, magis tunc minusue participet, ac peculiare hanc ob rationem cautiones in medendo postulet <sup>(131)</sup>.


### §. XIII.

Quod ad neruosae denique lentae febris, in aegris variolosis interdum quoque obuia, indolem attinet, neque

<sup>(130)</sup> De horum vsu in febribus huiusmodi putridis in primis conferri meretur DONALD MONRO'S *Account of the diseases in the Brit. milit. Hosp. London 1764. p. 32.*

<sup>(131)</sup> conf. in primis HUXHAM *on Feuers p. 131. 132.* Docuit etiam

saepe obseruatio, primum in vna domo variolis correptum praesequentibus mitius aegrotare solere; qua de materia conferri merentur quae cl. HIRZEL retulit in *Abhandl. der natürl. Gesellsch. in Zürich. 1. Theil p. 195. 196.*



que hanc eodem semper modo comparatam esse, sed notatu etiam dignas differentias admittere, ex ipsa aegrorum obseruatione persuasissimum habemus. Huius quidem febrium generis, tot aliis cum febrilibus morbis subinde coniuncti, veram conditionem nunc cognitam ponere liceat, vtpote quam plures accurati Scriptores, HUXHAMVS (132) praesertim, GLASSIUS (133) et LANGRISH (134) et GILCHRIST (135) satis clare descriptam dederunt. Neque nobis animus nunc est, complicationibus huius febris cum aliis recensendis inhaerere, quas omnino dari cum diathesi praesertim putrida, rarius cum phlogistica sanguinis, interdum cum varia vitiosa ad primas vias colluue, extra dubitationem esse collocatum existimamus. Studiosam requiri attentionem, ne vel in simplici tali febre dignoscenda decipiamur, vsu rerum non destitutus quisque facile largietur, cum nequaquam omnis virium grauis languor, sensuumque externorum ac internorum stupor, ac solito minor quoad reliqua naturae aetuositas, huiusce febris praesentiam satis certo declarent; siquidem et summus languor cum tardante pustularum eruptione ac elevatione, sola etiam ex plethora, nonnunquam ex nimis magna quoque et vehementius exaltata inflammatoria diathesi, praetereaque interdum ex collecta in praecordiis cacochylia, certissime producat.


Con-

(132) *Essay on Fevers Ch. VI. et VII. p. 72. et in obs. de aere et morb. epid. edit Lips. p. 163. sqq.*

(133) *comment de febr. VII. p. 120 sqq.*

(134) *The modern Theory and Pract. of Physic. London 1738. p. 329 sqq.*

(135) *Med. Essays and obs. of Edinb. Vol. IV. n. 23. et V. n. 48.*



Contingit vero interdum signa nervosae lentae febris HVXHAMIANA, plane deficientibus etiam his alienis languoris vitalis et animalis causis, pustularum eruptionem praecedere, atque aliquot per dies perseverare, vbi tamen eruptio ex voto succedit, integerque dein morbus decursum ita regulariter absoluit, vt meliorem non exoptes, licet eruptio nullis plane cardiacis aut stimulantibus, ab HVXHAMO et aliis eo sub statu commendatis, promota fuerit. In his ergo certe opus non fuit cardiacis et excitantibus. Probabiliter nocuissent. Ergone minimum cautissime, sub signis etiam nervosae illius lentae febris, cardiacis praesertim calidioribus vtendum?

Praeterea deficit aliquando, vera ex obseruatione, actuositas illa naturae, qua opus ad eleuandas ac maturandas pustulas, vt quoque crystallinae et verrucosae fiant, haecque tandem, vix vlla praesente febre, ac fere vnice ob defectum caloris vitalis, liuescant et nigrescant, licet in eruptione vires naturae deficere non visae sint, sed pustulae potius subito, perexigua tamen praegressa febre, quam copiosissimae prodierint, cum et nihil plane cardiacorum ac stimulantium adhibitum fuerat. Quem statum, vt praecedentem quoque, ab illo, quem HVXHAMVS describit, pariter discrepantem, aliquoties in tenellis obseruauit ill. Praeses.

Quodsi nunc ad nervosas febres etiam eas omnes referre liceret, in quibus symptomata nervosa, ex causis minus euentibus, ac peritiores quoque latentibus, oriunda prae aliis emineant, atque vel perseveranter, vel frequenter saltem, aut permutatis inter se vicibus

cibus, aegros corripiant, pluribusque ex manifestiorum numero phaenomenis haud respondeant; quam ad indolem febrium plurima pertinent Hippocratica malignitatis criteria; omnino etiam inter variolosos morbos eiusmodi reperies, quibus febrem nervosam tribuere queas, licet lentarum cognomen ex idea HVXHAMI et aliorum, quos laudauimus, Anglorum haud mereantur. Ad symptomata autem illa nervosa, in quorum origines quandoque frustra inquisueris, cum cognitis non respondeant causis, praesentim referenda sunt, vehementior capitis, colli, lumborum et artuum dolor, delirium pertinacius post eruptionem, vrina praecipue limpida, pauca et saepe tunc emissa, cum inquietudine, peruigilio, floccorum lectione aut festucarum euulsione; sitis defectus, potusque necessarii, praesertim subacidi detrectatio, vbi lingua sicca, aspera, fissa, fusca aut nigra est; auditus obtusus; respiratio luctuosa aut suspiriosa; vocis defectio; deglutitionis difficultas, praesertim cum spiritu tussiculoso; singultus; tendinum subsultus; frequens horror; caloris et ruboris permutatio crebra; artuum tremor; motusque conuulsiui etc. (136). Longe plura facile huc referre liceret, sed hic memorata pro exemplis abunde sufficere videntur. Et, cum ipsa coctio pathologica et quoduis criticum, magna etiam ex parte a systematis nervosi constitutione ac efficacitate pendeat, potissimum quoque ista ad nervosa symptomata pertinere videntur, vrina praeter rationem cocta, pustulae in artubus prius ac in facie prodeuntes, deficientes

(136) Plurima variolarum symptomata tum nervosa tum alia, probabilibus ex rationibus, quoad fieri potuit, maximam partem exposita,





ciens capitis et manuum iustis temporibus intumescen-  
tia, noua pustularum copia post alteram erumpens (137),  
saluatio in infantibus (138); et quae sunt huiusmodi  
plura.

### T A N T V M.

posita, cum subiuncta cuius me- *the Small pox ch. V.*  
dendi methodo, v. in LOBB'S *Trea.* (178) G. CLEGHORN'S *obs. on the*  
*tise on the Small pox P. I. ch.* *epid. diseases in Minorea III. Edit*  
*IV-VII. p. 55-120.* *p. 295.*  
(137) HILLARY *Pract. Ess. on*

### ERRATA.

Pag. 15 lin. 7. diuisionem lege diuisionem  
- - 16 - 6. succentibus - - succedentibus  
- - 18 - 7. ευνδες - - ευνδες  
- - 23 - 28. persuere - - profluere  
- - 24 - 32. periculosior - - periculosior  
- - 32 - 4. ab init. §. X. post vocem *inflammatoriam* inseratur  
*habent,*

